Nuptias auſpicatiſſimas,
VIRI
Nobiliſſimi, Excellentiſsimi, Experientiſſimique
DOMINI
GEORGII PETRI Schultz/
Phil, & Med. *Doct.*
Ut &
Profeſſ. Publ. Gymnaſ. Thorun. Optime meriti,
Et
FEMINÆ
Omnibus ſexus ſui virtutibus *Exornatiſsimæ*
REGINÆ,
Viduæ
MENNICHIÆ;
Nat. HEMLINGIAE,
D 16. Ianuarii *A.* M. DCCXIV.
Initas
Exiguo hoc Carmine
Debiti & Obſervantiæ ergo proſequi voluerunt
Gymnaſii Thorunenſis
PRIMI ORDINIS AUDITORES.

THORUNII,
Impreſſit Joann. Nicolai, NOBIL. SENATUS & GYMNASII Typographus.

SUrgite Pierides, mecuum decurrite campos
Frigida quos nitido flumine Lympha seca.
Gaudia sunt illic, vestrum poscentia numen,
Non mihi concessis viribus apta loqui
Et tu Calliope, flectens modulamine mentes,
Huc ades, ut timidi pectoris ausa juves.
Non bene subjectis trepidi committimur undis,
Ni tua diductam dirigat aura ratem
Hac quoque concessa non omnis cura recedit,
Susceptumque humeros, sentio, lassat onus.
Pectore sic opus est docti linguaque Maronis,
Mœoniique velim grandia verba senis.
SCHULZIUS Excellens socialia sacra celebrat,
Doctor Gymnasii Pieriique chori.

Quem

Quem non deterrent curæ, non tædia longa,
Nec grave Sisiphiæ tristeque molis onus.
Vt nostræ mentes poliantur moribus æquis,
Ac ut Castaliis ora rigentur aquis.
Vranturque DEI *& veræ pietatis amore,*
Ac *decurratur rite salutis iter.*
Q*uo sic exhibeat se dignum nomine* Petri*.*
A*tque sit optatæ* Petra salutis *acris.*
Tu laribus propriis terra patriaque relicta,
Quæ fragilis vitæ lumina prima dedit,
Thorunium confers Te EXCELLENTISSIME SCHULZI,
Quod Tibi promeriti pandit honoris iter.
Invenit splendor virtutis ubique locorum,
Mecænatem & nunc præmia larga refert.
Porro tibi varios bene collegisse thesauros,
Doctrinæ variæ fervida cura fuit.
Auspiciis jamjam connubia læta secundis,
Aggredere, & fausto numine prospera age.
*S*CHULZI,*cui tribuit præclarum gloria nomen:*
Nostra Schol*æ gratæ spes, meliora notans.*
Ecce Matronarum magna stipante corona,
Chara Regina tuum nupta cubile petit.
Talem sese infert tantos declarat amores,
Tot simul Ambrosio pectore dona gerit.

Quan-

Quantum namque Venus forma supereminet o-
mnes,
Pulchra Deas, tantum hæc cultior ore nitet.
Nil opus, ut Tyrio se vestiat illa colore,
Nativus formæ se nitor ipse probat.
Illius in specimen Charitum chorus, omnis & æ-
ther,
Et bona sors cunctas accumulavit opes,
Hinc ergo fausto conjunctos sidere amantes,
Pronuba constanti fœdere Juno liget.
Unanimi auspicio vitam decurrite vestram.
Felici vester crescat amore thorus.
Prosperet ipse suo genitor, qui Numine sanxit
Vincula connueii hæc, arceat omne malum.
Livor et urentes absint à limine curæ,
Concordes animos vinciat unus amor,